

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

3 September 2013

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Isidore on the Sea

Mare est aquarum generalis collectio. Omnis enim congregatio aquarum, sive salsae sint sive dulces, abusive “maria” nuncupantur iuxta illud: “Et congregationes aquarum vocavit maria.” Proprie autem “mare” appellatum eo quod aquae eius amarae sint. “Aequor” autem vocatum quia aequaliter sursum est; et quamvis aquae fluctuantes velut montes erigantur, sedatis rursus tempestatibus adaequantur. Altitudo enim maris diversa est, indiscreta tamen dorsi eius aequalitas. Ideo autem mare incrementum non capere, cum omnia flumina, omnes fontes recipiat, haec causa est: partim quod influentes undas ipsa magnitudo eius non sentiat; deinde, quod amara aqua dulce fluentum consumat; vel quod ipsae nubes multum aquarum ad se attrahant; sive quod illum partim auferant venti, partim sol exsiccat; postremum, quod per occulta quaedam terrae foramina percolatum, et ad caput amnium fontesque revolutum recurrat. Maris autem certum non esse colorem, sed pro qualitate ventorum mutari, nam modo flavum est, modo lutulentum, modo atrum.

2. From the Latin translation of the *Book of the Ladder*

Sciunt omnes de quatuor mundi partibus prout sunt Oriens, Occidens, Septentrio et Meridies qui hunc preciosum librum viderint et audiverint quod cum ego Machometus filius Abdillehe, oriundus de Arabia de civitate Meche, generis nobilis Arabum quod dicitur Korayxis, gracia illuminatus divina, Meche in domo mea essem, et jacerem in lecto proprio et juxta uxorem meam cui nomen erat Omheni et multum vigilaverim in lege Dei sollicite cogitando, et post hujusmodi vigilacionem, aliquantulum dormire inceperim; ecce statim venit ad me Gabriel angelus et se mihi in hanc formam ostendit: videlicet quod ejus facies erat alba plus quam lac aut nix aliqua et capilli erant rubicundiores corallo multum etiam rubicundo. Habebat enim supercilia valde amplia et os pulcherrimum et bene formatum, dentes quidem albos et valde claros et existens indutus vestibus omni re albioribus ac ditissime operatis cum perlis et lapidibus preciosis.

3. A Hymn to the Virgin Mary

1. O domina dominarum,
Tu regina reginarum,
Propter tuam dignitatem
Et meam malignitatem

2. Pravitatem cordis pelle,
Quod abundat omni felle.
Ego pauper et egenus
Et a Deo alienus

3. Adversum me irritavi
Deum meum, dum peccavi,
Quem tu mihi pacifica,
Dei mater et unica.

4. Ut in eius maiestate
Regar tua bonitate

Et valeam tecum vere
Caelum in aevum retinere.

5. Hoc te posse impetrare
Credo firmiter et clare,
Quapropter haec mihi dona,
Sola spes atque patrona.
6. O Maria, flos virginum,
Ora pro me ad Dominum,
Ut ad caeli palatia
Perveniam te praevia.
7. Fac me sine periculo
Sic migrare de saeculo,
Ut occurens cum angelis
Me suscipias in caelis.
8. Ibi tecum sine fine,
Ubi quies, nullae minae,
In aeternum aeternorum,
In saecula saeculorum.

4. Amalarius addresses Charlemagne on the Rites of Baptism

Domine mi Christianissime imperator. Misistis ad servulum vestrum inquisitiones, secundum vestram misericordiam, de sacro baptismate, per ordinem interrogantes cur unaquaeque res agatur in baptisterio ut in scrutinio: sicut in omnibus Christi exemplum sequimini, sic et in isto; qui ad hoc interrogavit Philippum, ut doceret, dicens: *Unde ememus panes, ut manducent hi?* Tamen, ut Evangelista ait: *Ipse enim sciebat quid esset facturus.* Quanquam idoneus non sim vestrae interrogationi respondere, tamen inobedientem me non oportet esse, quin omnibus sensibus et intellectu meo vestris sanctis jussionibus obtemperem. Ideoque quod conjicere

possumus, scripsimus de his rebus quae vestra dominatio interrogavit, et quod in promptu invenimus in dictis sanctorum Patrum, illuc magis aciem mentis direximus ex his quae admonitioni vestrae congrua videbamus. Nos vero quanquam ignari simus, non cessamus pro vobis et vestra misericordia, quam exercetis in omnes Dei cultores, gratias Deo agere, et stabilitatem atque sapientiam imprecari vestro regimini; quarum interrogationum prima haec consistit: Cur infans catechumenus fiat ante baptismum?